



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 24. Pii III. Pontificis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

superstiti hujus foederis eventum praesto-
lari invidia mortis haud indulfit.

Saecul. XVI.
A.C. 1503

§. XXIV.

Pii III. Pontificis obitus.

Jam sexto post electionem die summus Pontifex adeo molesto, gravique morbo opprimebatur, ut ab illo temporis puncto publicis negotiis incumbere praepediretur, ac postquam viginti omnino dies in exigua salutis suae spe animam traheret, plurimum ingravescente morbo Sacrum Viaticum a suo conscientiae Moderatore, ac demum extremam unctionem sibi administrari postulavit, quibus perceptis circa meridiem vigesimo sexto ab electione die animam Deo reddidit, communi omnium recte sentientium luctu, qui Pium velut Virum pro bono, ac honore Ecclesiae divinitus datum, atque ad reparandos praeteriti temporis abusus maxime idoneum venerabantur. Quorumdam Historicorum opinio est, illum veneno, quod ei Pandolphus Petrucius Senarum Gubernator propinasset, fuisse sublatum. Corpus ejus Pontificali habitu ornatum, ad exterius cubile deferebatur, atque in quodam lecto, qui sericis velis viridis coloris coopertus erat, exponebatur. Ast haud diu ibidem relictum, sed ad cubile, ubi animam egit,

H h 3

trans-

Sæcul. XVI. translatum fuit, & postquam ejus obitus
A. C. 1503. Poenitentiariæ tabulis inscripſus erat, reci-
 tato mortuorum officio ad Ecclesiam S. Pe-
 tri in Capella Sixtina repositum est, & us-
 que ad feriam quintam publice expositum
 permansit, inde autem circa horam diei
 tertiam, præcedentibus omnibus Cleri-
 cis, qui accensos gestabant cereos, a fa-
 mulis suis ad Sacellum S. Georgii porta-
 batur, ibique justis funebribus de more
 persolutis, in Mausoleo, quod sibi aliquo
 ante obitum tempore extrui curavit, con-
 ditum fuit. Intererant exequiis quin-
 decim Cardinales, ac re divina per Car-
 dinalem S. Petri ad vincula peracta, Do-
 minicus Crespus defuncto oratione fune-
 bri parentavit: Post hæc Palatii Apo-
 stolici custodia Tarentino Archiepiscopo
 demandata est, Salutiarum vero Marchio
 defuncti Pontificis Nepos eodem adhuc
 die sese ad Patruſi sui ædes recepit.

§. XXV.

*Molimina Cardinalis S. Petri ad
 vincula pro Papatu.*

Papyr. Mass. in Jul. II. **A**gre Cardinalis S. Petri ad vincula
 exequiarum finem præstolabatur,
 ut ad assequendum Papatum patronos
 sibi conciliaret, ac primo Ascanium Car-
 dinalem sollicitabat, ut non solum ipse,
 sed etiam sui clientis ejus partes tueren-
 tur,